



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE** *VENIT HORA* **VENERABILIS** **SERVIS DEI LIBERATO WEISS,**  
**SAMUELI MARZORATI**

**ET MICHAËLI PIO FASOLI, BEATORUM HONORES DECERNUNTUR** Ad perpetuam rei memoriam. – «Venit hora ut glorificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdit eam, et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodiet eam» (*Io 12, 23-26*). His reputatis, quae Christus maerore affectus discipulis paulo ante proposuit, quam in Cruce ipse ad salvandos homines se devoveret, tam decretoriae agendi rationi suam omnino vitam ac mortem fidentes accommodaverunt famuli Dei Liberatus Weiss, Samuel Marzorati ac Michaël Pius Fasoli, qui tres Ordinis Fratrum Minorum sodales erant atque presbyteri. Etenim, ut Filius hominis profecto glorificatus est, quod Patri paruit usque ad mortem, mortem autem crucis, ita et memorati Christi discipuli hanc ob causam certis sunt laudibus illustrati, quod Divinum Magistrum tam firmiter secuti sunt usque ad martyrium, ut, haud aliter ac iustus Abel, ipsius Domini Iesu figura, intrepidi suum sanguinem super terram effusum viderint. Adhuc in animo resonare ea videntur, quae beatus Frater Franciscus de quinque ex prioribus sui Ordinis sodalibus, qui sibi martyrii gloriam quaesiverant, pronuntiavisse dicitur: «Nunc dicere possum quinque mihi esse Fratres Minores» (*An. Franc. III, App. I, p. 593*). Ii veri sunt Fratres Minores, qui, beatum Franciscum imitati germanique facti sectatores Christi, aequae ac primi discipuli Domini, vitam perdere non dubitant Fidei et Evangelii custodiendi causa. Liberatus Weiss, qui in Bavarico oppido «Konnersreuth» intra fines dioecesis Ratisbonensis anno MDCLXXV est natus, Laurentium in Baptismate nomen accepit et anno MDCXCIII, aetatis suae duodevicesimo, Ordinem Fratrum Minorum ac monasterium in Austria ingressus est Gradeciense, in Styriae regione; sibi quoque illic sodalis nomen Liberatum indidit. Cumque Vindobonae in studia incubisset philosophica ac theologica, sacerdos factus est anno MDCIIC. Samuel Marzorati, anno MDCLXX in Italico oppido «Biumo Inferiore» apud Barentium natus, X mensis Septembris die, ibi in Baptismate nominibus appellatus est Antonio et Francisco. Pueriles ipse annos vixit in monasterio B. V. Mariae Nuntiatae Fratrum Minorum, qui «Reformati» tunc vocabantur, quorum sodalis nomine Samuel est factus. Sacerdos dein sacratus non dubitavit aperte petere sibi facultatem vocationis suae missionalis specialem in modum colendae, ita nempe, ut suo tempore ad Missiones probe paratus proficisci posset. Proinde concessum est ei, ut Romae apud Ianiculense Monasterium Franciscum Sancti Petri in Montorio missionalem suam perficeret institutionem in Collegio ad id condito. Michaël Pius Fasoli, qui ad annum MDCLXX in Italia natus est, Papiensi in oppido «Zerbo», ingressus est Ordinem Fratrum Minorum Pedemontana in provincia olim Sancti Didaci in Insubria. Sacerdos recens factus operam utique scientiis docendis theologis iam dabat, at fere statim voluntatem ipse manifestavit ad Aethiopicas Missiones proficiscendi. Ordo Fratrum Minorum, re ante id tempus studiosus oecumenicae consuetudinis cum Ecclesia Aethiopica instaurandae, iam singulariter optabat, ut Sodalitas amicitiae ac pacis nonnullisque ex Fratribus constans illic conderetur, qui sodales pauperibus deservirent ac aegrotis, neque dubitarent debita cum observantia Aethiopicis adjuvare fideles ad plenam in recta Fide coniunctionem cum Apostolica

Sede repetendam. Cumque rem publici Aethiopiae magistratus secundare viderentur, necnon praecavendum ceteroqui esset, ne tot profugorum Christifidelium fides periclitaretur contactu Macometifidelium, Sancta Sedes statuit anno MDCXCVII ut in Aethiopia Missio restitueretur. Fratrum Minorum Ordo se Ecclesiae totum obtulit, summique eius Moderatores enixe sodalibus instituerunt, ut in promptu quisque esset, perinde ac si ad eiusmodi Missionem in Aethiopiam mitteretur. Frater Samuel Marzorati cum se inter primos paratum dixisset, tribus post annis, quam Missio ab Apostolica Sede restituta erat, Romae iam morabatur in praecipuam institutionem vel magic complendam omni studio intentus, quae sibimet comparanda videretur. Item et Fratres Liberatus Weiss et Michaël Pius Fasoli, novae suorum Moderatorum postulationi concedentes, anno MDCCIII iam apte instructi omnino erant atque ad aggrediendum missionale opus parati. Alius alio tempore aliusque aliam per viam in Aethiopiam profecti, arcano sane providoque Dei consilio inter se tum convenerunt, cum «Gondar» in urbe potestas condendae Missionis tandem est facta. Congregatio enim de Propaganda Fide cum statuisset, ut in Aethiopiam ingressus retentaretur, uno tempore, seu die XX mensis Aprilis a. MDCCXI, in munere Praefecti Apostolici Fratrem Liberatum Weiss constituerat, cuius ad latus Fratres Samuel et Michaël Pius adiutores essent. Ab anno MDCCXI ii tres usque ad annum MDCCXVI, quo martyrium tulerunt, operati sunt ibi. Id singulare quidem fuit, quod missionale experti sunt opus, atque difficile. Quibus enim doctrinae rationibus a Macometanis illi differunt Christifideles, qui sunt a Sancta Sede seiuncti, iisdem terminalibus rationibus nostri continebantur Fratres Minores, atque, tempus utcumque exspectantes quo Evangelium nuntiare possent, Macometano interea populo clarum vitae simplicis et pauperis amoreque omnes prosequentis testimonium dabant. Technicas Christifidelibus obtulerunt artes medicorum et pictorum et aurificum, necnon aeris fusorum proprias, quas peropportune ipsius actionis missionalis causa ii didicerant. Quaestiones autem, quae separationis causa esse viderentur, eas et doctrina instructis et sociae illius Ecclesiae principibus proponebant, ut in dialogo excuterentur sincero ac iusto. At ipsa, pro !, separata Ecclesia, recto beneque animato nostrorum missionariorum famulatu prorsus neglecto, vexationem concitavit in eos. Eiusmodi est martyrium eorum, ut vetustarum venustatem «passionum», quae primos ad martyres Ecclesiae pertinent, prae se ferat. Hi namque ipsi martyres nostri, suam tuiti Christianam Fidem, hac re condemnati sunt, necnon in iudicium adducti: Christifideles sumus – confessi sunt – «a Summo Pontifice ad hoc missi, ut, iustam praebentes vobis viam, veram et sanctam vos doceamus Christianam Fidem». Accusati de haeresi Aethiopiae Coptarum Ecclesiae, qua nempe duplex, seu diving et humana, negabatur Christi natura, «binas utique naturas» – firmissime declaraverunt – «agnoscentes profitemur easque profitebimur ad postremam usque cruoris stillam». Idem, rei facti Christi Eucharistici credendi, prompte se Fidem Eucharisticam dixerunt numquam deserturos esse, «etsi ea de causa se miliens mori oporteret». Ob Fidem igitur Christi etiam lapidationis poena affecti, tunc, in secretum sub monte «Amba-Abò» adducti, ibi, die III mensis Martii anno MDCCXVI, denudati caesi sunt obruti saxis. Fere statim mortuus est Frater Liberatus pauloque post Frater Samuel, Frater autem Michaël Pius ter a lapidum cumulo emersit. Abditi sunt tamen confestim saxorum cumulo quisque suo, qui et gloriosum idem fuit cuiusque sepulcrum; ibidem, adversis rebus obstantibus, ne dignior illis tribueretur humationis honor, adhuc corpora eorum requieverunt ad nostros usque dies. Itemque post eorum martyrium eventus historiae plures, qui Italiam ducentos exinde et quinquaginta per annos affecerunt, ut antea v.g. eversio Gallica ac deinde abrogatio Ordinum Religiosorum, impederunt ne mature causa Beatificationis inchoaretur eorundem Servorum Dei. Annis autem MCMXXXII-MCMXXXIII cognosci causa coepta est Viennensi informativo quem dicunt processu necnon Rogatorialibus cum Monachii in Bavaria tum Ratisbonae ac Mediolani Processibus, una simul cum brevi «Actorum supplemento» in Aethiopia confecto. Die XVI mensis Maii Historiae Consultorum sessione anno MCMLXXXIV facta, peculiaris deinde consessus «super Martyrio» anno MCMLXXXVII est celebratus die XV mensis Decembris. Patres vero Cardinales atque Episcopi, Ponens cum esset Em. mus Iosephus Card. Casoria, anno MCMLXXXVIII Ordinarium Coetum die I mensis Martii celebraverunt. Votis

interea Congregationis de Causis Sanctorum comprobatis, Ipsi Nos statuimus ut Decretum conficeretur «super Martyrio». Quod ipsum hoc vertente anno Nobis adstantibus recitatum die XXVIII mensis Martii declaravit constare de martyrio Liberati Weiss, Samuelis Marzorati et Michaëlis Pii Fasoli. Denique, sicut Paulo post nuntiavimus, in hunc mensis Novembris XX diem etiam tempus eorum Beatificationi declarandae praestituimus. Apte ergo hoc ipso die liturgici ritus acti sunt hic Romae in Patriarchali Basilica Petriana, ubi Servi Dei Liberatus Weiss, Samuel Marzorati, Michaël Pius Fasoli et Catharina Drexel ad Beatorum honores sunt eveci hac quam pronuntiavimus formula: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Pauli Tzadua, Archiepiscopi Neanthopolitani, Ioannis Hermanni Groer, Archiepiscopi Viennensis atque Antonii Bevilacqua, Archiepiscopi Philadelphiensis Latinorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei *Liberatus Weiss, Samuel Marzorati, Michaël Pius Fasoli* et Catharina Drexel Beatorum nomine in posterum appellentur, eorumque festum die ipsorum natali: *Liberati Weiss, Samuelis Marzorati et Michaëlis Pii Fasoli* die tertia Martii; Catharinae Drexel die tertia Martii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Sueta etiam oratione habita de vita ac virtutibus Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Novembris, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostrum undecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana